



HISTORIA PASSIONIS DOMINI
NOSTRI IESU CHRISTI, CONCIONIBVS

aliquot facili & perspicua Methodo explicata, à Reuerendo
& Doctis. viro D. IOODOCO NAHVMO p.m. & ex archetypis
ab ipso relictis, nunc recens edita.

Concio I. cxliii. cap. Elaiæ. à vers. i.
ad finem capituli.

MAGNIFICENTIAE admodum, & splendide Scriptura
Prophetica passim de Regno CHRISTI loquitur,
vt, quod omnes hostes suos pedibus suis planè sit sub-
iecturus, regnum autem suum per omnes terræ pla-
gas latissime dilataturus, & subditis suis veram tranquillita-
tem, & omnimodam pacem plenissimè largiturus. Ne-
que his vaticiniis vlla experientia refragatur. Ecquis enim o-
mnium quotquot vnquam fuerunt, regum, Regis CHRISTI
impedire aut labefactare regnum potuit? Adhuc omnes, qui
ad gubernacula rerum euecti sunt, & clauum imperii tenent,
ipsi velint, nolint, subiugantur, vt non quod ipsis bonum, sed
quod huic regi iustum videtur, cogantur efficere. Quod si re-
cusent, nihil aliud expectare poterunt, quam vt sceptro ipsius
ferreo comminuantur & conterantur.

Ne verò ex his vaticiniis carnalis aliqua cogitatio fidelium
mentib. obrepit, quasi mundanum & politicum regnum in his
terris Christus sit auspicaturus, iuxta etiam illa prophetarum
de hoc Messia & Rege vaticinia sunt obseruanda, eum in his
terris male habitum, multa dira perpeffurum, contemptum, re-
iectum, & tandem excisum iri.

Atque hunc modum quoque in suis de Christo concionib,
Elaias